

† R. P. Iosephus Kolfenbach (1905-1945) (1)

(Prov. Colonien.)



Solum quadraginta vitae annos Deus huic optimo confratri elargitus est, et primum quidem annos beatos in sinu familiae optimae in Honnet ad Rhenum, ubi Iosephus postridie kalendas Ianuarias 1905 primum lumen huius mundi aspergit; postea in iuvenatu Bonnensi, in novitiatu Luxemburgensi, in studentatu Geistingensi, ubique omnibus carus propter animi bonitatem et hilaritatem.

De quindecim annis ministerii sacerdotalis ipse paulo ante obitum Deo disertis verbis gratias egit, vocans illos annos vere beatos. Eos fere totos transegit satis procul a solo natali, in Germania orientali, in dominibus Glogau et Braunsberg. Tempore ultimi belli

a. 1941 iussus est occupare locum parochi Friedrich loci Freudenberg, prope Heilsberg, cum is a nazistis esset expulsus, et brevi illis quoque parochianis carissimus evasit.

Exercitu germanico devicto mansit apud hunc suum gregem, cum eo saeva perpetiens. — Defectu nutrimenti necessarii mox catarrhum intestinalem chronicum contraxit adeo gravem, ut ierunium per integros dies protractum, etiam quoad potum aquae, nil iuvarit. Die 6 Martii 1945 cum aliis multis captivis via ferrata longum iter suspicere coactus est ad locum 2000 km. distantem a Moscova, ad orientem versus, in regione Kami, quo post ineffabiles adversitates tandem d. 27 mensis, fer. III Maioris Hebdomadae, pervenit. In isto vehiculo ad merces tranvehendas potius destinato 46 homines fuerant congregati, et P. Kolfenbach, statura altus, ne sinebatur quidem lassa aegrotaque membra extendere. Adde quod tunc etiam dolorosa flebiti laborabat.

In dicto campo eius vires, forsitan ob typhum, rapido cursu declinarunt; quare post biduum, Fer. V in Coena Domini, socius captivitatis item sacerdotali dignitate insignitus Dr. Fittkau, qui superstes haec postea narravit, nostro confratri moribundo extrema solacia praebuit. Proh dolor! Viaticum non poterat dari nisi spirituale. Postridie Iosephus audiebatur gemere: « Vere mihi est Fer. VI in Parasceve! Etiam Christus certe non habuit crucem duriorem ». Ipse enim moriens iacebat in tabula lignea! Forti autem animo laudabat Deum eique

(1) Cf. quae de P. Kolfenbach in *Der Volksmissionar* 24 (1955), N. 4, p. 109 scripsit P. Carolus Atmann, recurrente decimo anno mortis.

gratias agebat, quod sibi, ut supra iam dictum est, vitam sacerdotis adeo felicem concessisset. Diros autem dolores ac vitam ipsam, in unione cum Domini sui Passione et morte, Altissimo obtulit in spiritu expiationis.

Sabbato Sancto devote auscultabat socium textus liturgicos pulcherrimos illius die praelegentem. « Meo nomine », inquit, « salvere iubeto dulcissimam matrem et fratrem et propinquos et confratres ». Denique, manibus premens illam Crucifixi effigiem, quam in vestitione ante 21 annos receperat dicens : « *Moriar, Domine, amore amoris tui, qui amore amoris mei dignatus es mori!* » circa horam undecimam illius Noctis Paschalis, pridie Kalendas Apriles, hac lacrimarum valle exiit, in meliore mundo cum divinc Victore Golgothae aeternum *Alleluia* intonaturus. Procul a patria eius exuviae mortales gloriosam resurrectionem exspectant una cum permultis sui populi filiis.

C. H.